



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**

Alboldus Abbas VI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

## SÆCULUM II.

*Ab Anno Christi 915. ad Annum 1015.  
numerat Abbates duos*

Alboldum & Heribertum.

### ALBOLDUS ABBAS VI.

SÆculum 2dum auspicamur, quod Monasterio nostro neque secundum, neque auspdatum fuit: adeò enim misero loco hâc ætate illud fuisse accepimus, ut, cùm necessaria vitæ sustinendæ subsidia desideraret, per annos ferè octoginta squallidum jacuerit sine Abbate, & religiosa familia; dum tandem circa annum Christi 1001. regnante Henrico Imperatore ex tot tantisque calamitatibus emergeret præesse jussu Alboldo Abbate. Extremæ autem, quacum conflictabamur, penuriæ nostræ succurrit Henricus Wirceburgensis Episcopus, qui pro congenitâ sibi Comitum Rottenburgicorum in nos pietate ab Henrico Imperatore hujus nominis 2do literas exoravit, quibus facultates & bona à nostro Monasterio avulsa varièque distracta nobis denuò adjudicabantur, & antiqua Abbatia nostræ privilegia

legia auctoritate Cæsareâ stabilita fuerunt; usus ad hanc rem operâ D. Kunegundis pientissimæ Imperatricis. Alboldus Monasterio annis 12. aut, ut alii legunt, 13. laudabiliter præfuit, & piè obdormivit in Domino.

## HERIBERTUS ABBAS VII.

Alterum & sæculi hujus postremum Abbatem Monasterium habuit Heribertum, qui illius regimen anno Domini 1013. adiit, duorum duntaxat annorum spatio comprehensum. Sub ea tempora in urbe Wirceburgensi Monasterium S. Stephani Proto-Martyris, & alia Ecclesia SS. Petri & Pauli ab Episcopo Wirceburgensi Henrico extructa sunt.

## SÆCULUM III.

*Ab Anno Christi 1015. usque ad annum 1115. continent Abbates sex*

Waltherum, Wolffgerum, Eggebertum, Burckardum, Altmannum, Rupertum.

**A**Nnus Domini millesimus decimus quintus Monasterio nostro octavum Abbatem dedit, cui